



# **Disputatio juridica inauguralis de contrahenda emptione & venditione**

<https://hdl.handle.net/1874/342821>

10

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE

Contrahenda Emptione  
& Venditione,

QUAM,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

**D. JOHANNIS MUNNICKS,**

Reip. Ultrajectinae Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ  
Medicinæ, Anatomæ & Botanicæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu & Alma  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus

& Privilegiis ritè consequendis,

*Eruditorum Examini subjecit.*

JACOBUS DE KUYSER, Medioburgo-Zeeland.

*Ad diem 17. Junii, horâ locoque solitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, cIo. lOc. LXXXV.

*Amplissimis, Spectatissimis, Gravissimisque*  
**VIRIS:**

- D. JACOBO** de KUYSER, Toparchæ de Pop-  
Roedenambacht, Medioburgensium arbitro, parenti cha-  
rissimo, filiali amore & obsequio in æternum colendo.
- D. SAMPSONI** de KUYSER, Ecclesiæ, quæ Chri-  
sto colligitur in pago, vulgo dicto Gapinge, præconi ver-  
bi divini fidelissimo, patruo meo parentis instar semper  
amando.
- D. ANTHONIO ROMBOUTS**, illustrium & po-  
tentissimorum ordinum Zeelandiæ Graphiario meritissimo,  
fidelissimo, avunculo meo charissimo.
- D. JOHANNI RADEMACHER**, JC. Urbis  
Medioburgensis Prætori gravissimo, Societatis Indiæ Oc-  
cidentalis præfecto vigilantissimo, agnato meo nunquam  
non observando, venerando.
- D. BARTHOLOMÆO CAUW**, JC. Collegii,  
quod occasione & in usum flandrorum Medioburgi col-  
ligitur, præsidi spectatissimo, cognato plurimum hono-  
rando.
- D. JASPARO OCKERSEN**, JC. ejusdem Collegii  
Senatori dignissimo, Cognato meo nunquam non hono-  
rando.

*Disputationem hanc Inauguralem eo,  
quo par est animo*

Offert & Inscribit

**JACOBUS DE KUYSER,**

**AUCTOR.**





DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

D E

Contrahenda Emptione & Venditione.

T H E S I S I.



Uoniam mihi animus fuerat contractum quendam tractandum suscipere, primo necessarium erit, ut breviter explicem quid sit contractus, & quomodo dividatur, definiri enim potest verus contractus, quod sit conventio de re danda facienda vel præstanda, cui subest civiliter obligandi causa ex se & suâ naturâ, in quo differt à pacto. Quantum ad divisionem, contractuum varia & multiplex est divisio & primo quidem dividuntur in nominatos & innominatos, nominati sunt, quibus speciale nomen à jure civili est impositum: ut emptio, venditio, locatio conductio &c. innominati sunt, qui nomine carent, sed quibus præter consensum subest causa obligandi *l. 7. §. 2. ff. de pact.* quales in *l. 5. ff. de præscrip. verb.* enumerantur quatuor. Porro contractus nominati dicuntur vel veri vel quasi, veri contractus sunt iterum vel re constantes, vel verbis, vel literis, vel consensu §. 2. *Inst. de oblig.* consensu constantes sunt ad quorum perfectionem nil præter consensum determinatum

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

tum requiritur §. 1. *Inst. de oblig. ex consens. l. 48. & l. 52. ff. in fin. de obl. & act.* & quinque jure novo tales enumerantur species, ut 1. emptio venditio, 2. locatio conductio, 3. emphiteusis, 4. societas, 5. mandatum. Ex his quinque mihi placuit, pro more academico, ventilandum proponere contractum emptio- nis & venditionis, utpote valde usitatum, & ad vitæ communis usum maxime necessarium, teste *Paulo l. 1. ff. h. t.* ubi scribit orinem emendi vendendique à permutationibus cæpisse, ipse in- dicans, difficultatem permutationis, & indigentiam humanam, cui permutatione rerum ægre succurritur, causam esse, quod nummus inventus, & emptio venditio introducta sit.

## I I.

Prima ergo species contractuum, qui solo consensu ineuntur est emptio venditio; cujus videnda 1. definitio, 2. requisita, 3. effectus sc. obligationes & actiones quas parit. Definitur enim emptio, quod sit contractus bonæ fidei, consensu constans, de re certo pretio permutanda. Dicitur bonæ fidei contractus, id est, quod in hoc contractu & similibus, alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet §. 3. *Inst. de oblig. ex consens.* & hinc etiam tantum operatur æquitas, quantum in stricti juris contractibus expressa conventio *l. 24. in fin. ff. deposit.* etiam dicitur solo consensu constare, quatenus quam primum de re & pretio convenit emptio perfecta intelligitur, licet nec res tradita, nec pretium numeratum, nec arraha data sit *l. 2. §. 1. ff. h. t. l. 1. §. 2. ff. de rer. permut. pr. Inst. h. t.* licet ad ejus consummationem desideretur merx & pretium, verum quod dixi emptionem perfici solo consensu *d. l. 2. §. 1. ff. h. t. & l. 1. §. 2. ff. de rer. permut.* hoc limitatur tribus præsertim casibus: 1. nisi placuerit emptionem contrahi in scriptis, quo casu emptio non perficitur, nisi Scriptura omnibus numeris absoluta, & subscripta sit *pr. Inst. h. t. l. 17. Cod. de fid. instrument.* 2. nisi res vendantur quæ constant pondere, numero, vel mensura tum enim perfecta erit emptio, si res sit ponderata, numerata, vel mensurata *l. 35. §. 5. ff. h. t.* & 3. nisi placue-



placuerit emptionem sub conditione contrahi, quo casu perfecta non erit emptio priusquam extiterit conditio *l. 8. ff. de peric. & comm. rei vendit.* Sub conditione si contrahatur emptio, in aliquem casum obligatio & actio differtur, & deficiente conditione, contractus retro sit nullus *l. 37. ff. h. t.* Ea vero existente, perfecta demum sit emptio, & perinde habeatur ac si ab initio pure contractus initus esset *l. 7. pr. ff. h. t. l. 213. ff. de verb. signif.*

## I I I.

Quantum ad personas attinet, quæ hunc contractum celebrare possunt, admittuntur omnes ad emendum & vendendum, quæ non prohibentur. Personæ contrahentes sunt hic emptor & venditor, in his primo requiritur facultas consentiendi, quæ ab usu rationis & voluntatis dependet: hinc est, quod cum in mutis & surdis iste rationis usus non deficiat, recte illi contrahant *l. 4. §. ff. de pact. l. 48. ff. de obl. & act.* Secundo in personis hunc contractum celebrare volentibus requiritur libera facultas administrandi & alienandi bona sua: & hinc etiam est, quod prodigi, quibus decreto Magistratus interdicta est administratio bonorum, non possint emere vel vendere sine curatoris auctoritate, cum eatenus furiosis comparentur *l. 6. ff. de verb. oblig. l. 4. ff. de Reg. jur.* Quicumque non prohibetur emere, potest quidem emere pro se, sed non pro alio, ita, ut si quis emerit fundum sibi & Titio, sibi soli emptus foret, non Titio *l. 64. ff. h. t.* nisi quis Procurator sit *l. 13. §. 25. ff. de act. empr.* & speciali ratione, ne in fraudulentæ administrationis suspicionem incurrat, sub pæna perdendi & rem, & pretium *l. 11. cod. de his, quæ vi met. caus.* Prohibetur emere quis ex officio, quod gerit *l. 46. ff. h. t. l. 46. §. 2. ff. de jur. fisc.* sic etiam propter metum concussionis, magistratus in eâ provinciâ, cui præest, quid emere nequit. *l. un. pr. §. 2. cod. de contract. judic. l. 62. ff. h. t.* exceptis casibus in *d. ll. 46. & 62. ff. h. t. expressis.*

## IV.

Ex jam dictis satis apparet, quod sint tria substantialia requi-  
 sita emptionis & venditionis. sc. consensus, meum seu res, &  
 pretium. Consensus enim hic ante omnia requiritur, ex gene-  
 rali contractuum natura, & necessarius est, hinc introducta est  
 regula: neminem invitum cogi posse ut emat aut vendat *L. 11.*  
*cod. h. r.* ab hac Regulâ variâ tamen traduntur exceptiones, ut  
 si aliud suadeat favor utilitatis publicæ, sc. cum via publica  
 fluminis impetu, vel ruinâ amissa est, vicinus proximus ex suo  
 agro viam præstare debet *L. 14. §. 1. ff. quemad. serv. amitt.* vel  
 cum Dominus intolerabilem sævitiam aut injuriam servis suis  
 infert, tenetur, enim eo casu eos bonis conditionibus invitus  
 vendere *§. ult. inst. de his, qui sui vel aliam. jur. sunt.* intererat  
 enim Reipublicæ ne quis re sua male uteretur. vel tertio, cum  
 favor sepulturæ aliud postulat, ut in casu *l. 12. ff. de relig. &*  
*sumpt. fun.* cæterum non est necesse ut hi casus excipiantur qui-  
 bus ob testatoris dispositionem quis emere vel vendere tenetur,  
 cum hæres adeundo hæreditatem se sponte voluntati testatoris  
 subjiciat *l. 49. §. pen. & ult. l. 66. ff. de legat. 13.* potuisset enim  
 non adire. Porro consensum excludunt dolus, metus, vis,  
 & error, ideoque emptio dolo, metu, vel vi initia, aut est  
 ipso jure nulla, sc. si dolus aut metus dederit causam emptioni  
*l. 7. ff. de dolo*: aut rescinditur per actionem empti, sc. si dolus  
 aut metus in emptionem inciderit *l. 11. §. 5. ff. de act. empt.* quod  
 ad errorem, ille obest adeo consensui, ut si sit in corpore,  
 faciat emptionem ipso jure nullam *l. 9. ff. h. r.* sic etiam si sit in  
 totâ materiâ *d. l. 9. §. 2. in fin. ff. h. r.* item si sit in qualitate sub-  
 stantiali *d. l. 9. §. 2. l. 11. §. 1. ff. h. r.* Sed si erratum sit in qualitate  
 legali, seu á jure dependente, ob quam res non est in commer-  
 cio, quo casu si inter ignorantes emptio venditio de tali re fiat,  
 vel saltem emptor ignoret, emptio quidem non tenet cum rem  
 habere non liceat *l. 62. §. 1. ff. h. r.* Sed emptor habebit tamen  
 actionem empti quo poterit á venditore petere id quod ejus  
 interest, ne deciperetur, vel si ipse venditor ignora-verit ut



restituatur pretium *l. 4. & l. 70. ff. h. t. l. 34. §. 1. ff. cod.* fin vero uterque contrahentium qualitatem ist anc rei sciverit, vel saltem emptor, plane nulla erit emptio *l. 6. l. 34. §. 2. ff. h. t.* & pretium solutum condici poterit arg. *l. 11. §. ult. ff. de act. emp.* non tamen ipso jure nulla erit emptio, sed subsistet, si error tantum sit in qualitate accidentali, vel in parte materiae *l. 11. §. 1. ff. h. t. l. 14. ff. cod.* nec his in casibus condemnandus erit venditor in id quod emptoris interst est, si probabilem habuerit errandi causam *l. 45. §. h. t.* Sed pretium erit pro rata augendum vel minuendum *d. l. 11. §. 1. ff. h. t.* idem erit si in quantitate fuerit erratum, si ad quantitatem res distracta fuerit *l. 4. §. 1. ff. de act. emp. l. 40. §. 2. ff. h. t.* si vero non ad quantitatem, sed ad corpus res fuerit dividenda, & inventus aliquanto major minorve rei modus, nequaquam augetur vel minuetur pretium, nisi concurrat venditoris dolus *l. 13. §. 14. ff. de act. emp.*

## V.

Porro secundum substantiale emptionis & venditionis requisitu est res seu merx, ita ut sine re, quæ veneat, nulla emptio intelligi possit *l. 8. ff. h. t.* Emi vendi possunt res omnes quæ in commercium veniunt, quas vero natura, vel gentium jus, vel mores civitatis commercio exemerunt, earum rerum nulla venditio est *l. 34. §. 1. ff. h. t.* quæ vero in commercio sunt emi vendi possunt & præsentis, & futuræ *l. 78. §. 3. ff. h. t.* corporales & incorporales : ut annuus reditus *Nov. 160. & Nov. 72. cap. 7. in med.* item aquando res incertæ : ut jactus retis, vel aleæ, ita ut spes vendita conseatur, & licet nihil capiatur ad-huc tamen subsistet emptio *l. 8. §. 1. ff. h. t. l. 12. ff. de act. emp.* res propriæ & alienæ, ita ut potestas usucapiendi res a non Domino venditas transeat in emptorem *l. 28. ff. h. t.* ita tamen, ut si nondum impleta usucapione, verus rei Dominus superveniat, res ipsi restituenda sit *lib. 14. cod. de rei vind.* Quo casu Emptor habet regresum adversus Venditorem *l. 1. ff. de evict.* Si vero res vendita in universum ante contractum perierit ignorantibus contrahentibus, nulla erit emptio propter *l. 8. ff. h. t.* Sed si res pro parte perierit,



rit, & quidem pro minore, adimplere tenetur emptor venditionem, pretio tamen pro arbitrio boni viri diminuendo: si pro majore, adeo ut minor pars tantum ex re vendita supersit, non compellitur emptor perficere emptionem; sed si emptor sciverit rem periisse, venditori id ignoranti totum tenetur pretium persolvere in pœnam doli: & vice versa, si venditor id sciat, emptor vero ignoret, venditor tenetur emptori ad id quod interest: quod si uterque sciat & emptor & venditor rem periisse in universum, vel pro parte, nihil actum censetur, & hic est casus *l. 57. ff. b. t.*

## V I.

Tertium sine quo non contrahitur emptio est pretium, nam Emptionis substantia consistit in pretio dicit *l. 72. ff. b. t. l. 2. §. 1. ff. eod.* Itaque non valet emptio cum dicis causa, pretextu pretii quæsito, res venditur uno nummo *l. 46. ff. locat.* Quæ non vera, sed imaginaria venditio est *l. 55. & l. 38. ff. b. t.* nisi res tantum uno nummo sit digna *d. l. 38. ff. b. t.* circa pretium adhuc duo sunt notanda, sc. 1. quod pretium debeat esse certum *§. 1. inst. b. t. 2.* quod debeat consistere in pecunia numerata *§. 2. inst. eod.* Certum verò tribus modis dicitur, vel simpliciter, cum ab initio certa quantitas exprimitur, vel per relationem ad aliud, veluti si dicat venditor quanti tu emisti *l. 7. §. 1. ff. b. t.* vel per arbitrium tertii certi, non incerti *§. 1. inst. b. t.* Itaque valebit venditio si persona nominata pretium juste definiverit, quod si noluerit pretium definire, vel non potuerit, forte jam mortuus, emptio nulla est, quasi nullo pretio constituto *l. ult. cod. h. t. & d. §. 1. inst. b. t.* Sed si arbiter interposuerit suum arbitrium, & multo pluris vel minoris rem æstima-verit, quam vere valet, firma & valida tamen erit emptio, sed corrigenda erit officio judicis, quod actioni bonæ fidei subser-vit *l. 79. ff. pro Soc.* licet enim non opus sit remedio aliquo rescis-forio, nisi læsio contigerit ultra dimidium veri pretii in emptio-ne *l. 2. cod. de rescind. vend.* id tamen non obtinet cum arbitri determinatione læsio contigit, cum eo casu iudex interpellatus  
in-

infringendi potestatem habent, & ad boni viri arbitrium reducet  
*d. l. 79. ff. pro soc.* in arbitrium unius ex contrahentibus definitio  
 præti non recte confertur *l. 35. §. 1. ff. b. t. ne sc.* in potestate  
 ementis vel vendentis sit, utrum debeant, an non debeant *l.*  
*7. pr. ff. eod. l. 13. cod. eod.* alterum quod in pretio desideratur  
 est ut consistat in nummis seu in numerata pecunia, in quo  
 differt à permutatione, ubi res pro re datur, at in emptione res  
 pro re dari nequit, quia hæc semper distincta esse debent præ-  
 tium & merx, sic ut enim aliud sit emere, aliud vendere,  
 alius emptor, alius venditor, ita & aliud pretium, aliud meræ  
*l. 1. §. 1. infm. ff. b. t.* si enim partim pecunia, partim res alia  
 pro re detur, attendenda erit mens contrahentium an voluerint  
 emere, an permutare arg. *l. 7. §. 12. ff. de pact.* & si illa non ap-  
 pareat à majori facienda est denominatio, ut inspecta *l. 79. ff. b.*  
*7. & l. 6. §. 1. ff. de act. empr.* satis apparebit. Venditioni pacta  
 adjici possunt honesta & licita, substantiam venditionis non  
 evertentia, quæ si dubia fuerint contra venditionem recipiunt  
 interpretationem *l. 21. & l. 33. ff. b. t. l. 39. ff. de pact.* potest  
 pure & sub conditione contrahi emptio *§. 4. inst. b. t.* potest  
 etiam pure sic contrahi, ut sub conditione resolvatur *l. 3. ff.*  
*eod. l. 6. cod. de rescind. vendit.* quo etiam pertinent duæ conven-  
 tiones in hoc genere frequentissimæ, quarum altera addictio in  
 diem, altera lex commissoria dicitur: *tot. tit. ff. de in diem ad-*  
*ditione, & tit. ff. de Lege Commissoria.*

V I I.

Deinde periculum & commodum rei venditæ, statim ac per-  
 fecta est emptio, ad emptorem pertinet, licet ea res ipsi non-  
 dum tradita, ac venditor adhuc dominus sit *§. 3. pr. & in fin.*  
*inst. b. t. l. 1. pr. l. 7. & 8. ff. de peric. & commod. rei vendit.* peri-  
 culi nomine hic venit omne damnum, corruptio, deterioratio,  
 ablatio rei, & commodi nomine quicquid naturaliter rei emptæ  
 accedit, hinc jam est, si perfecta emptione, licet rem nondum  
 nactus fuerit emptor, ante traditionem res perierit, aut amissa  
 fuerit sine dolo, vel latâ, vel levi culpâ venditoris, (de culpâ  
 levissimâ non tenetur *l. 35. §. 4. ff. b. t. & l. 5. §. 2. ff. commod.*)  
 quod



quod pretium solvere debeat emptor *d. l. 35. §. 4. ff. h. t.* utique tamen re adhuc extante, aut furto ablata, corruptave, venditor actiones, ipsi utpote domino adhuc competentes, cedere debet emptori *d. §. 3. inst. h. t.* cæterum aliquando venditor periculum ferre tenetur: puta si sit emptio generis *l. 14. §. 1. ff. de peric. & commod. rei vend.* vel alternativa, quo casu alterutra res venditori perit, & nihilominus quæ superest danda, hæc vero etiam pereunte, emptoris erit daunum *l. 34. §. 6. ff. h. t.* vel si id inse receperit venditor *d. §. 3. inst. h. t.* vel in mora tradendi sit *l. 4. eod. h. t.* vel denique si vitium, ex quo post venditionem res interit, jam ante contractum celebratum adfuerit *l. ult. cod. de peric. & comm. rei vind. l. 44. ff. h. t. & tot. tit. ff. de edilis. edict.* vice versa, ut periculum ad emptorem pertinet perfecta emptione, sic etiam ex æquitate naturali commodum, licet res nondum tradita sit, ad eundem pertinet per *l. 10. ff. de Reg. Jur. & d. §. 3. inst. h. t. l. 13. §. 10. ff. de act. empt.*

## VIII

Expositâ ipsâ contractus naturâ, agendum erit tandem de actionibus ex hoc contractu oriundis, quibus quod ex obligatione nobis debetur, persequimur. Ex hoc emptionis & venditionis contractu nascitur duplex actio, empti & venditi. Empti actio personalis est, & bonæ fidei, competens emptori & ejus hæredi, adversus venditorem & ejus hæredem, tendens ad id, ut res vendita tradatur soluto pretio, nam pretio nondum soluto agere hæc actione non poterit emptor *l. 13. §. 8. ff. de act. empt. & tradenda est res cum omnibus accessionibus & fructibus tempore venditionis perceptis l. 13. §. ult. ff. eod.* tendit etiam ad id, ut venditor actiones cedat emptori rei emptæ nomine sibi competentes *§. 3. Inst. h. t.* & ut caveat se restitutum quod ex re vendita ad ipsum aliquando perveniet *l. 2. 23. ff. de act. empt.* denique ad id quod emptoris interest, si dolo malo venditoris circumventus sit scil. si vel res sacra pro profana vendita sit *§. ult. Inst.*

*Inst. b. t.* vel res aliena vendita sit *l. 30. §. ult. ff. de act. empt.* vel venditor in mora tradendi sit *l. 4. Cod. b. t.* vel si venditor nolit tradere rem venditam, quo casu inutilis est distinctio D. D. utrum habeat facultatem tradendi nec ne, cum utroque casu venditor poterit liberari præstando id quod interest, neque ad factum traditionis præcise cogi poterit *l. 1. pr. & l. 12. ff. de act. empt. l. 4. Cod. eod.* arg. *l. 13. in fin. ff. de re judic.* Actio venditi itidem est personalis bonæ fidei, competens venditori adversus emptorem ad id ut pretium solvat, & nummorum dominium transferat in accipientem *l. 11. §. 2. ff. de act. empt.* & præstet usuras ex mora *l. 13. §. 19. & 20. ff. eod.* præterea restituat impensas necessarias *l. 13. §. 22. ff. eod.* denique præstet omne id, quod vel generali emptionis naturâ vel speciali pacto comprehensum est.





# COROLLARIA.

I.

**C**ircumventiones in pretio sunt interdum toleranda.

II.

Tutoris datio est Jurisdictionis Legalis.

III.

Tutor Confirmatus potius annumerandus est tutoribus dativis, quam testamentariis.

IV.

Pater filiae locupleti dotem dare tenetur.

F I N I S.

